uatorem non est preter me. Ego cognovi te in deserto in terra solitudinis. Iuxta pascua sua et adimpleti sunt et saturati: levaverunt cor suum et obliti sunt mei. Et ego ero eis quasi leena, sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora iecoris eorum, et consumam eos ibi quasi leo. Bestia agri scindet eos. Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum. Ubi est rex tuus? Maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis, et iudices tui de quibus dixisti: Da michi regem et principes. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius. Dolores parturientis venient ei. Ipse filius non sapiens. Nunc enim non stabit in contritione filiorum. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua o mors, ero morsus tuus inferne. Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividet. Adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, et siccabit venas eius, et desolabit fontem eius. Et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum. In gladio pereant, parvuli eorum elidantur, et fete eius discindantur.

XIIII Convertere Israel ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum, et dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultra: Dii nostri opera manuum nostrarum, quia eius qui in te est misereberis pupilli. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix eius ut Libani. Ibunt rami eius, et erit quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani. Convertentur sedentes in umbra eius, vivent tritico, et germinabunt quasi vinea. Memoriale eius sicut vinum Libani. Ephraim quid michi ultra ydola? Ego exaudiam et dirigam eum, ego ut abietem virentem. Ex me fructus tuus inventus est. Quis sapiens et intelliget ista, intelligens et sciet hec? Quia recte vie Domini, et iusti ambulabunt in eis, prevaricatores vero corruent in eis.

Prologus.

Sanctus Iohel apud Hebreos post Osee ponitur. Et que ibi sub nomine Ephraim ad X tribus confertur vaticinium, que vel Samaria vel Israel sepe memorantur, sic in hunc prophetam omne quod dicitur ad tribum Iuda et ad Ierusalem pertinere credendum est, et nulla Ephraim vel Israel, id est X tribuum, in hoc mentio est. Tempora quoque quibus prophetavit eadem debemus accipere que in Osee legimus in titulo: Ozie, Ioathan, Achaz et Ezechie regum Iuda, et Ieroboam filii Ioas regis Israel. Porro factum est verbum Domini ad meritum eius refertur, ut sit non ad admonendum illud quod scriptum dicitur ut alibi legimus, dixit in corde insipiens. Audite autem in sequenti lectione non est idem quod in aure sonat, sed quod corde percipitur, iuxta illud quod Dominus loquitur in evangelio: Qui habet aures audiendi audiat. Quod autem dicit: Senes, et: Omnes habitatores terre, secundum litteram sonat; auribus percipite, quod non aure sed corde percipitur. Quod senes sunt et celestes auditum spiritualem; quod autem habitatores terre, appellantur terreni, auribus percipiunt. Videamus autem si duo ista nomina ponuntur non ad simplicem terminum vel sonum, sed ad reconditam quasi doctorum intelligentiam pertinent. In genesi loquitur Lamech ad uxores suas Ada et Sella: Audite vocem meam uxores Lamech, auribus percipite sermones meos, quia virum occidi in vulnus meum et iuvenem in livorem meum. Et Ysaias: Audite celi, et auribus percipe terra.

Iohel filius Fatuel describit terram XII tribuum eruca, bruco, locusta, rubigine vastante corruptam, et post eversionem prioris populi effusum Spiritum Sanctum super servos Dei et ancillas, id est super CXX credentium nomina, effusum in cenaculo Sion. Qui CXX ab uno usque ad XV paulatim et per incrementa surgentes XV graduum numerum efficiunt, qui in Psalterio mystice continentur.

Iohel de tribu Ruben natus in agro Bethoron, ubi etiam in pace mortuus est atque sepultus.

VERBUM Domini quod factum est ad Iohel filium Fatuel. Audite hoc senes, et auribus percipite omnes habitatores terre, si factum est istud in diebus vestris aut in diebus patrum vestrorum. Super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi altere. Residuum eruce comedit locusta, et residuum locuste comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. Expergiscimini ebrii et flete, et ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro. Gens enim ascendit super terram meam fortis et innumerabilis. Dentes eius ut dentes leonis, et molares eius ut catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit. Nudans spoliavit eam et proiecit: albi facti sunt rami eius. Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis sue. Periit sacrificium et libatio de domo Domini. Luxerunt sacerdotes ministri Domini. Depopulata est regio, luxit humus, quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. Confusi sunt agricole, ululaverunt vinitores super frumento et ordeo, quia periit messis agri. Vinea confusa est, et ficus elanguit. Malogranatum et palma et malum et omnia ligna agri aruerunt, quia confusum est gaudium a filiis hominum. Accingite vos et plangite sacerdotes, ululate ministri altaris, ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio. Sanctificate ieiunium, vocate cetum, congregate senes, omnes habitatores terre in domum Dei vestri, et cla

mate ad dominum. Ha, ha, ha, diei: quia prope est dies domini, et quasi vastitas a potente veniet. Numquid non ante oculos vestros alimenta perierunt de domo dei nostri, laetitia et exsultatio? Computruerunt iumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatae sunt apothecae, quoniam confusum est triticum. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? quia non est pascua eis: sed et greges pecorum disperierunt. Ad te domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis. Sed et bestiae agri quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te: quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti.

II Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terrae: quia venit dies domini, quia prope est: dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis: quasi mane expansum super montes populus multus et fortis: similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. Ante faciem eius ignis vorans, et post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum. Quasi aspectus equorum aspectus eorum: et quasi equites sic current. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsilient, sicut sonitus flammae ignis devorantis stipulam, velut populus fortis praeparatus ad proelium. A facie eius cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam. Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum: viri in viis suis gradientur, et non declinabunt a semitis suis. Unusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt: sed et per fenestras cadent, et non demolientur. Urbem ingredientur, in muro current, domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur. A facie eius contremuit terra, moti sunt caeli: sol et luna obtenebrati sunt, et stellae retraxerunt splendorem suum. Et dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia et facientia verbum eius: magnus enim dies domini et terribilis valde: et quis sustinebit eum? Nunc ergo dicit dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad dominum deum vestrum: quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia. Quis scit si convertatur, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem, sacrificium et libamen domino deo nostro? Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate coetum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri domini, et dicent: Parce domine, parce populo tuo: et ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: Ubi est deus eorum? Zelatus est dominus terram suam, et pepercit populo suo. Ecce ego mittam vobis frumentum et vinum et oleum, et replebimini eis: et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus. Et eum qui ab aquilone est procul faciam a vobis: et expellam eum in terram inviam et desertam: faciem eius contra mare orientale, et extremum eius ad mare novissimum: et ascendet foetor eius, et ascendet putredo eius, quia superbe egit. Noli timere terra, exsulta et laetare: quoniam magnificavit dominus ut faceret. Nolite timere animalia regionis: quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam. Et filii Sion exsultate, et laetamini in domino deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiae, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum in principio. Et implebuntur areae frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, et bruchus, et rubigo, et eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos. Et comedentes vescemini, et saturabimini: et laudabitis nomen domini dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia, et non confundetur populus meus in sempiternum. Et scietis quia in medio Israel ego sum: et ego dominus deus vester, et non est amplius: et non confundetur populus meus in aeternum.

III Et erit post haec: effundam de spiritu meo super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae: senes vestri somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos et ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo. Et dabo prodigia in caelo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem et ignem, et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies domini magnus et terribilis. Et erit: omnis qui invocaverit nomen domini salvus erit: quia in monte Sion et in Ierusalem erit salvatio, sicut dixit dominus, et in residuis quos dominus vocaverit. Quia ecce in diebus illis, et in tempore illo, cum convertero captivitatem Iuda et Ierusalem: congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Iosaphat: et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hereditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt. Et super populum meum miserunt sortem: et posuerunt puerum in prostibulo, et puellam vendiderunt pro vino ut biberent. Verum quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palaestinorum? numquid ultionem vos reddetis mihi? et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. Argentum enim meum et aurum tulistis: et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delubra vestra. Et filios Iuda et filios Ierusalem vendidistis filiis Graecorum, ut longe faceretis eos de finibus suis. Ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos: et convertam retributionem vestram in caput vestrum. Et vendam filios vestros, et filias vestras in manibus filiorum Iuda, et venumdabunt eos Sabaeis, genti longinquae, quia dominus locutus est. Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in

lanceas. Infirmus dicat quia fortis ego sum.
Erumpite et venite omnes gentes de circuitu et congregamini. ibi occumbere faciet dominus robustos tuos. Consurgant et ascendant gentes in valle iosaphat.
quia ibi sedebo ut iudicem omnes gentes in circuitu.
Mittite falces quoniam maturavit messis. Venite et descendite quia plenum est torcular. Exuberant torcularia. quia multiplicata est malitia eorum.
Populi populi in valle concisionis. Sol et luna obtenebrati sunt. et stelle retraxerunt splendorem suum.
Et dominus de syon rugiet. et de ierusalem dabit vocem suam. Et movebuntur celi et terra. et dominus spes populi sui. et fortitudo filiorum israel. et scietis quia ego dominus dominus vester habitans in syon in monte sancto meo. Et erit ierusalem sancta. et alieni non transibunt per eam amplius.
Et erit in die illa stillabunt montes dulcedinem. et colles fluent lacte. et per omnes rivos iuda ibunt aque. Et fons de domo domini egredietur et irrigabit torrentem spinarum. Egyptus in desolationem erit. et ydumea in desertum perditionis. pro eo quod inique egerunt in filios iuda. et effuderunt sanguinem innocentem in terra sua. Et iuda in eternum habitabitur. et ierusalem in generatione et generatione. Et mundabo sanguinem eorum quem non emundaverunt. et dominus commorabitur in syon.

Amos pastor et rusticus. et ruborum mora distringens. paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exprimat. tria. et iiii. scelera damasci. gaze. tyri. ydumee. filiorum amon. et moab. et septimo. octavoque gradu iude et israel. hic loquitur ad vaccas pinguis que sunt in monte samarie. et rusticum domum maiorem minoremque testatur. Ipse certe fictorem locuste. et stantem dominum super murum. litum. vel ad amantinum. et uncinum pomorum attrahentem supplicia peccatoribus. et famem in terra. non famem panis neque sitim aque. sed audiendi verbum domini.

Ozias rex cum domini legem sollicite emularetur. nimio religionis amore provocatus de preceptum legis moysi arrepto thuribulo. ut ystoria libri sedis paralipomenon ostendit. sacerdotale officium presumere conatus est. Obeam rem. terremotum in templo dei exortum constat. cuius etiam zacharia propheta meminit. Hic hunc itaque terremotum. amos propheta temporibus predicti regis. et temporibus ieroboam filii ioas regis israel. in eas gentes que lectione comprehense sunt. iram dei ob eas causas quas memoravit a futuro denuntiat. Et quia idem propheta insequentibus ait. in tribus impietatibus. et super iiii. non convertam eum. tertio peccatorum indulgentiam. dum dare posse significat. quarto eadem peccata committentibus. nec penam nec indulgentiam datur enuntiat. Nam per ignis similitudine. que in predictas gentes immittendo predixit. gravem atque irrevocabilem dei iram. ad subversionem earundem cunctatum pressuram voluit demonstrare. Amos non interpretatur onustus. hic amos spiritualis

gentium plenus. prophetavit inter ceteros prophetas. Non enim ipse solus erat propheta. sed etiam alii. Esse quippe non poterat propheta nisi ante pastor fuisset. qui etiam tuba sua clangit per singulos dies erudiens. et docens secretum. Iniuriate enim vox omnium prophetarum. tanquam tuba spiritualis est predicans in ecclesia secundum quod scriptum est. Ascende in montem excelsum tu qui evangelizas syon. exalta vocem tuam qui evangelizas ierusalem.

Verba amos qui fuit in pastoralibus de thecue. que vidit super israel in diebus ozie regis iuda. et in diebus ieroboam filii ioas regis israel. ante duos annos terremotus. et dixit. Dominus de syon rugiet. et de ierusalem dabit vocem suam. Et luxerunt speciosa pastorum. et exsiccatus est vertex carmeli. Hec dicit dominus. Super tribus scelerib; damasci. et super iiii. non convertam eum. eo quod triturarunt in plaustris ferreis galaad. Et mittam ignem in domum azahel. et devorabit domos benadab. Et conteram vectes damasci. et disperdam habitatores de campo ydoli. et tenentem sceptrum de domo voluptatis. et transferetur populus syrie. cyrenen. dicit dominus. Hec dicit dominus. Super tribus scelerib; gaze. et super quattuor non convertam eum. eo quod transtulerit captivitatem perfectam ut concluderet eam in ydumea. Et mittam ignem in murum gaze. et devorabit edes eius. Et disperdam habitatorem de azoto. et tenentem sceptrum de ascalone. Et convertam manum meam super accaron. et peribunt reliquie philistinorum dicit dominus deus. Hec dicit dominus.

Super tribus scelerib; tyri. et super iiii. non convertam eum eo quod concluserit captivitatem perfectam in ydumea. et non sunt recordati federis fratrum. Et mittam ignem in murum tyri. et devorabit edes eius. Hec dicit dominus. Super tribus scelerib; edom. et super iiii. non convertam eum eo quod non persecutus sit in gladio fratrem suum. et violavit misericordiam eius. et tenuit ultra furorem suum. et indignationem suam servavit usque in finem. Et mittam ignem in theman. et devorabit edes bosre. Hec dicit dominus. Super tribus scelerib; filiorum amon. et super iiii. non convertam eum. eo quod dissecuerunt pregnantes galaad. ad dilatandum terminum suum. Et succendam ignem in muro rabbe. et devorabit edes eius in ululatu in die belli. et in turbine in die commotionis. Et ibit melchom in captivitatem. ipse et principes eius simul. dicit dominus. Hec dicit dominus deus. Super tribus scelerib; moab et super iiii. non convertam eum. eo quod incendit ossa regis ydumee usque ad cinerem. Et mittam ignem in moab. et devorabit edes carioth. Et morietur in sonitu moab. et in clangore tube. Et disperdam iudicem de medio eius. et omnes principes eius. interficiam cum eo dicit dominus. Hec dicit dominus. Super tribus scelerib;